

99.

---

DE  
PRINCIPIO STILI LATINI  
COMMENTATIO ALTERA

---

QVA  
ORATIONEM VALEDICTORIAM  
IUVENIS HUMANISSIMI ATQVE POLITISSIMI  
GOTTLIEB ADOLPHI SONNENKALBII  
NUMBURGENSIS

CRAS H. L. Q. C. HABENDAM  
RITE INDICIT  
M. DAN. PEVCERVS  
LVSATVS  
ATHEN. SEN. RECT.

---

NUMBURGI  
LITTERIS BOSSOEGELIANIS  
CID 1000 XXXVIII



## S V M M A D I C E N D O R V M

Adcommodatio principii generatim indicitur § I. et quidem

I. ad materias principes, scil.

- a. ad castitatem sermonis § II.
- b. ad accuratorem in scribendo § III.
- c. - et pronuntiando § III. V.
- d. ad sermonis proprietatem VI. VII. VIII.

II. ad controuersias quasdam, quales sunt

- α. stili prius rationem habendam, quam colloquiorum § VIII.
- β. orationem concinnam et fusam esse commiscendam § X.
- γ. licere, noua uerba adsumere § XI.
- Oratio discedentis § XII.
- - gratulantis § XIII.
- Inuitatio § XIII.

## § I.

**O**perae pretium sine ullo dubio iustis rerum philologicarum aestimatoribus \* facere uide-  
mur, si principium haud ita pridem expositum  
ad grauissima quaeque loca in disciplina de  
stilo occurrentia, adcommodamus. Neque enim dubium  
esse potest, si materiae omnes deduci ex hoc principio,  
quaestiones pleraeque omnes accurate decidi queunt,  
quin principium sit genuinum atque accuratum. Explo-  
raturum quoque erit, opiniones huic contrarias omnes esse  
infirmas, ieiunas atque non raro ridiculas, ideoque uiro  
docto prorsus indignas; licet easdem inde a tenera ae-  
tate impresserint menti, et secundum eas et scripserint  
ipsi, et de aliis iudicauerint.

\* Ab

\* Ab rudibus harum rerum maiorem pe-  
to in modum, uelint pati, ut meliora  
edoceantur ab doctissimo Genuensi,  
*Vberto Folietà* libro de linguae latinae  
usu et praestantia, cui Hamb. 1723 e-  
dito in 8 uen. abbas *Io. Laur. Mos-  
heim* disertationem de linguae lati-  
nae cultura et necessitate praefixit;  
ab *Iac. Perizonio*, qui de usu atque  
utilitate graecae romanaeque lin-  
guae, eloquentiae, historiae et antiqui-  
tatis in grauioribus disciplinis ora-  
tionem habuit Lugduni c10 10c xciii;  
ab *Arnoldo Drackenborch*, qui de uri-

litate et fructu, ex humanioribus di-  
sciplinis in omne hominum et doctri-  
narum genus redundante Traiecti c10  
10cc xvi dixit; ab *Io. Henr. Kromayero*  
in disert. de litterarum eleg. cultura  
in academia diligenter continu-  
anda Ien. 1717 habita; a *Pet. Bur-  
manno* in oratione in humanitatis  
studia Lugduni Batauorum c10 10cc  
xx recitata; ab *Io. Geo. Graeuio* in  
oratione pro litteris dicta, quae inter  
orationes Delphis editas c10 10cc xxi  
prima est.

## § II.

Finge, TE esse dubium, utarisne PURITATIS uoce, nec  
ne? Si principium nostrum in consilium adhibueris: mi-  
hi crede, album opinioni CORRADIANAE \* aut SCIOPIA-  
NAE \*\* non es adiecturus calculum; sed VOSSIVM \*\*\*, KE-  
RRIVM \* et NOLTENIVM \*\* sequi pulchrum putabis. Licet  
enim *impuritatem* CICERO habeat; scriptores etiam plures  
perierint; et, qui supersunt, per naturam rei, omnia non  
contineant uocabula: bene tamen PRISCIANVS, apud  
*Olaum Borrichium* \*\*\* et si regula, inquit, sic concedat dicere:  
tamen nisi in usu inueniamus auctorum optimorum: non  
debemus imitari. Esset enim conatus consimillimus li-  
centiae germani statuentis, quia dicitur *Vnsaeterey*; dici  
etiam posse *Flaeterey*: reliqua generis eiusdem \*. Manu  
ergo deprehendis, usum in lingua uiua esse normam di-  
cendi, et *Palladii* \*\* auctoritatem perquam esse debilem;  
quum praesertim sexcenties locum PURITATIS uocem usur-  
pandi habuerint bonae auctores notae. Quam rationem  
si quis animo et cogitatione complexus fuerit: uidebit,  
cur Romanorum purissimus scriptorum \*\*\*, loco purita-  
tis, modo *purum sermonem*, modo *munditiam*, modo *elegan-*  
*tiam*

tiam dixerit: cur *Cornificius* \* *latinitatem* uocet, adfirmetque, hanc eandem esse, quae sermonem purum conferuet ab omni uitio remotum; cur *MORHOEIVS* de *pura dictione*; non autem de *puritate* inscripserit libellum suum postumum\*\*.

\* *Q. Marius Corradus* libro II. de copia lat. sermonis p. 54. sequi. in hanc rem protulit complura.

\*\* Pertinet huc eius *Scaliger Hypobolimaetus* p. 241.

\*\*\* De uitii sermonis et glossematis latino-barbaris lib. III. c. 39. p. 585.

\* Euolue hanc uocem in *Ioannis Ker* selectis de lingua lat. obseruationibus, Londini c10 1000 VIII editis, libro II. quo barbare uitiosae loquendi consuetudinem inuestigat, patefacit, emendat.

\*\* In lexico lat. linguae antibarbaro p. 661. sequi.

\*\*\* In cogitationibus de uariis lat. linguae aetatibus et scripto *Vossii* de uitii sermonis p. 213.

\* Recte obseruauit *Cyr. Guntherus* in la-

tinitate restituta p. 446 non posse latine dici *prouiso, formis, es, ertia, nocentia, sania, solentia, scitia*; reliqua: quamuis recte dicatur *improuiso, informis, inertia, innocentia, insania, insolentia, incitia*.

\*\* Lib. II. c. 14. de uino adfirmat, mox sumere *puritatem* colarique debere.

\*\*\* Singularem inuenies locum in *Oratore* n. 79. Hic enim ait: fucati medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: *elegantia* modo et *munditia* remanebit. Sermo purus erit et latinus rel.

\* Rhetoric. ad *Hevennium* lib. III. c. 12.

\*\* Hunc cel. *Mosheimius* utilissimis ornatum adnotationibus edidit *Hannouerae* c10 1000 xxv. 8.

### § III.

Progredere ad accuratorem in scribendo. Tu si incertus fueris, *stilusne* cum doctioribus scribas, an *stylus* cum nonnullis: rem omnem, mihi crede, principio nostro consulto, extemplo decides. Quod si enim uox eset graeca: certe *σύλος* \* et *γραφίς, γραφείον, γραφείδιον* idem prorsus significarent. Iam uero non significant. Saltim adesse debebat *tropus* \*\*, qualis intercedit inter *stilum*, siue scribendi instrumentum superiore sui parte planum et obtusum; inferiore autem, quo in tabulis ceratis ueteres scribebant, acutum \*\*\*, atque inter orationis genus hoc instrumento perfectum. Caue itaque,

*stylum*

*stylum* scribas: propter ea quod ei scribendi rationi nec principium sanum, nec deriuatio, neque etiam significatio fauet.

\* Si itaque *Strabo* lib. XIII. p. 446 apud *VVeinrichium* in der erleichterten Methode die humaniora mit Nutzen zu treiben p. 5. dicit: ὁ δὲ ἡγεῖε τῆ Ἀσιαῶν λεγομένῃ σῦλον. scire debebat, recentiorem graecum uocem latinam, multis ante saeculis adhibitam, graeco elemento y expresfisse. Graecos enim σῦλον pro filo usurpasse, subdubito, donec probetur contrarium.

\*\* Instrumentum si ponitur pro re instrumento perfecta: *metonymiam* habes. Nescio enim, qui fieri possit, ut non nulli *metaphoram* hic inueniant.

\*\*\* Dedit operam *Samuel Pitiscus* in utilissimo *antiquitatum Roman.* lexico Leouardiae c10 1000 XIII edito T. II. fol. 869 ut stili figuram, quam posset accuratissime, delinearet. E uoluant igitur, quibus libet, doctissimum philologum.

## § III.

Neque etiam ex me quaeras, qui fiat, ut tanta nonnulli se iniuria adficiant tum, quum est uocum quantitates ratio inter pronuntiandum habenda. In uiam se dant; neque tamen non destituuntur certo duce, aut statua mercuriali. Quo fit, ut peccent pueriliter: quia *corripiunt*, quae erant *PRODUCENDA*, nomina sequentia:

Antiochia, Aratus, Chalcedon, Euphrates, Epiphania, Gaetuli, Granicus, Mausolus, Sinope, reliqua; *ex appellatiuis* uero haec: antiphona, apotheosis, cyclopes, dolabra, epodus, exauctor, extrico, fortuitus, hypotyposis, lodices, lynceus, metamorphosis, myopes, paedotriba, panthera, pernices, saluber, sibyllinus, cetera.

Neque etiam possumus non misereri fratrum ignorantiae turpiter oblitorum auctoritatis ueterum poetarum, quotiescumque uoces *CORRIPIENDAS*, contra naturam *producant*, cuius generis sunt: Dalmata, Helena, Iafonem, Poecile,

cile, galli Senones, cophinus, elegus, erudit, exaro, obelus, pedica, pepones, praecoces, comminor rel.

\* Inferuit Io. Frid. Noltenius, clar. scholae Scheningensis Conrector lexico lat. linguae antibarbaro *indicem prosodicum*, ea exhibentem uocabula, quorum quantitas in pronuntiando, uel uitiosa, uel suspecta, uel dubia

solet esse. Dormitasse tamen bonus Homerus uidetur in uocibus *calesfacis, tepesfacis, Virgilius, Ouidius, pleraque, utraque*, auctoritate forsan Scaligeri et Lipsii in transversum abreptus.

## § V.

Digna ergo liberali misericordia eorum hominum uox est, qui clamant: haec leuia sunt et minuta; ex quibus non potest non minuta existere laus. Addunt cum nonnemine\* in simili causa: *in talibus rei publicae litterariae salus non periclitatur; neque quisquam ex ea re uel indoctior, uel imprudentior ab eruditis iudicabitur, qui in utramuis se fluxerit partem.*

Quibus ut medear, helleborum praeparabo ex ueteribus optimaе notae poetis; saltim eos etiam atque etiam rogabo, ut collyrio utantur ab Aristarcho, aut Prisciano quodam rite praeparato. Si uero morbo illorum haec medicina imbecillior esse uideatur: licebit, credo, mihi uerba germanica pronuntiare contra quantitatem: *meine Vaterstadt ist eine berühmte Festung.* Hanc audaciam, aut conatus illi similes si improbant, principio nostro ducti: habeo, quod uolo. Sin uero calculo suo adprobant: digni esse uidentur, qui sibilis explodantur admodum peradolescuntulorum. Etenim hi iidem ita colligunt: tantum abest, ut eius generis audacia in mortua lingua, qualis est latina, locum habeat; ut, ne in uiua quidem, possit iure tolerari. Videsne itaque denuo uisum principii nostri?

\* Designo C. H. WEISSIVM de stilo Romano lib. II. cap. XI. de puritate circa orthographiam tenenda p. 191 et 192. Melius cel. *Martinus Geierus*

iudicat: grammaticae cognitionem negligere uelle, est, nauem permittere solis uentis, non curata pyxide nautica.

## § VI.

## § VI.

Sumamus porro uoces ac loquendi formulas eas, quae nisi falsae; dubiae tamen atque incertae cuiquam uideri possunt. Quas si ingenio optimorum quorumque latinorum perquam esse conuenientes, principii beneficio, probauero: latinitatem selectam et uulgo fere neglectam, cum VORSTIO\*, tuebor. In ea fere plerique omnes sunt opinione, se macula adspergi, eius generis, quae nulla fere ratione deleri possit, aut elui, si quis eos latine HOMINES adpellaret. Sed hi erunt fere, qui ingenii linguae latinae expertes iudicant contra principium. Id igitur agendum nobis est, ut infirmam illis opinionem sequentibus TVLLII locis excutiamus. Hic uero

- a. summos senatus Romani patres conscriptos, nobilissimis orbis terrarum regibus maiores, *sapientissimos homines* adpellat or. pro Milone c. 23.
- b. CAESAREM *hominem mitissimum et lenissimum* uocat, or. Catil. III. c. 5.
- c. Appium Clodium Pulchrum, imperatorem atque Ciliciae praefectum, *hominem coniunctum fidelissima gratia* praedicat or. pro Milone c. 27.
- d. Archiam poetam, praeceptorem amantissimum, pro quo dixit, *Rudium hominem* cap. 10 uocat.

Qui meritisimos quosque de republica uiros, quin etiam summorum uirorum personas, honoris causa, nominat, ille profecto, si quid ego uideo, de illis detrahere nec uult, neque potest. Consequens itaque est, HOMINIS uoce, nemini posse iniuriam fieri.

\* Fetus huncce postumum, cum praefatione, *Christ. Frid. Bodenburg* gymnasii Berolin. Rector Berolini A. 1793 1800 XVIII. 8. edidit. Eidem am-

plificando et perpoliando se aliquando manus adiecturum esse pollicitus est C. H. *Langius*, Subrect. Lubec. in institution. stili Romani p. 24.

## § VII.

## § VII.

Neque tamen, haec dum scribo, infitior, negare, aliqua latine dici, quam adfirmare, esse difficilius. Sic iubent grammatici cauere, ne unitatis numero incipias, et cum plurali desinas. Falluntur autem boni homines maiorem in modum. Quid enim, quaeso, iudicabunt de *Cicero* uoce \*\*: *mibi* quidem, neque *pueris nobis* M. Scaurus C. Mario; neque, quum *uersaremur* in republica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere uidebatur. Falsae erunt, aut minus latinae, quae ad diuersos \*\*\* habet: e quidem, *nos* quod Romae sumus, miserrimum esse duco, cetera?

\* Docuit haec pereleganti disputatione

Ienae A. c19 10cc xxxiiii habita M.

Martinus Borck, qui scholae Franco-

husanae cum fructu praecit.

\*\* Offic. lib. I. cap. 22. 9.

\*\*\* Lib. VI. ep. III. n. 10.

## § VIII.

Negant iidem adhiberi posse SIN, sine antegresso si: propter ea quod particularum reddituarum, quas uocant, natura hoc idem postularet. At uero *Nepotis* auctoritas obstat, quae sola illos contrarium docere poterat. Ita enim scribit \*: *primum ratio habebatur, qui regnans decessisset. SIN is uirilem sexum non reliquisset: tunc eligebatur, qui proximus esset propinquitate.* Adde alium locum \*\*: *huic scilicet Olympiae primum suasis, ne se moueret; et (hoc est sed) expectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. SIN aliqua cupiditate raperetur in Maccdoniam: omnium iniuriarum obliuisceretur.*

Merentur etiam adnotari loca duo *Cicero* in officiis, sententiam nostram adprime confirmantia. Pondera primum \*\*: *ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum laborabimus. SIN aliquando necessitas nos ad ea detruferit, quae nostrae ingenii non erunt: omnis adhibenda erit cura - - - facere possumus.* Neque tamen alterum\* negligere: *luxuria uero cum omni aetate turpis,*



*turpis, tum senectuti fedissima est. SIN autem libidinum etiam intemperantia accesserit: duplex malum est, rel.*

\* In vita Agesilai c. I. 3.

\*\*\* Offic. lib. I. cap. 31.

\*\* In Eumene cap. VI. 2.

\* Offic. lib. I. c. 34.

## § VIII.

Sed tempus est, ad controuersias quasdam principium adplicare. Disputatum saepius fuit, utrum prius stili habenda sit ratio, an colloquendi facultas comparanda? Ego uero, principio duce, sic existimo, stilum prius esse exercendum, quam colloquaris. Si enim, quae Cicero habet, uera sunt, stilum esse optimum et praestantissimum effectorem ac magistrum: res omnis erit confecta. E quidem non ignoro clar. OTTONEM \* auctorem existisse, ut latinae linguae usus maturius exerceatur. At uero repugnant uirorum e societate IESV, eorumque, qui in disciplinam se illis tradiderunt, item Polonorum et Hungarorum exempla, qui in loquendo solent esse uersatissimi; in scribendo uero mirum quantum alucinantur: nisi, aut naturali bono, aut summa industria uitium correxerint \*\*.

\* Qui iam lycei Arnstadiensis in Thuringis Rector est, Io. Christo. Otto, Lipsiae olim eruditam habuit disputationem, de latini sermonis usu maturius exercendo. Sed ubi firmum deest fundamentum, ibi etiam stili munditia, proprietas, elegantia atque dignitas, omnino periclitantur. Cum grano itaque salis illud H. C. Agrippae admittendum est, quod in

libro de incert. et uanie. scient. cap. III. p. 11 profert: grammatica se recte loquendi artem iactat: sed falso: quum id ipsum longe melius discamus a matribus, aut nutricibus mulierculis, quam a grammaticis.

\*\* Hoc fecerunt Vauasor, Dionys. Peetauius, Nic. Causinus, Galluccijs, Facciolatus, alii. Conf. *VVeissum* de stilo Rom. lib. I. c. 8. p. 102.

## § X.

Nullo etiam negotio se aliquis extricauerit, dum modo principium nostrum rite obseruet, si quaestio fuerit, sitne semper utendum oratione *concinna* siue *uersa*, quae ex pe-

)(

periodorum usu cooritur; an *fusae* quoque, quae membratim et incisim procurrit, praeter illam, locus esse iure possit? Hac enim in re audiendus solus CICERO est, qui \* non semper, inquit, utendum est perpetuitate et quasi conuersione \*\* uerborum; sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra sunt numeris uincienda.

Recte igitur Plinius maior \*\*\* taxauit Isocratem, cuius orationes nihil fere quidquam, nisi periodos habent, et Demetrius Phalerus \*, Gorgiam Leontinum, eundem ob lapsum.

\* Locum inuenies libro III. de oratore.

\*\* Consentit Demetrius Phalerus, περὶ ἑρμηνείας p. 8.

\*\*\* In historia natur. lib. VII. c. 30.

\* Loco adlegato ait: δοκιμάζω γὰρ

δὴ ἔγωγος μήτε περιόδοις ὄλον τὸν λόγον συνείρεσθαι, ὡς ὁ Γοργίης μήτε διαλελύσθαι ὄλον, ὡς τὰ ἀρχαῖα· ἀλλὰ μεμίχθαι μᾶλλον δι' ἀμφοτέρων.

#### § XI.

Vt uoces temere, hoc est sine ratione, nouatae a nouis iure summo distinguuntur: ita si principium in subfidium uocaueris, aut ex Cicerone quaesiueris, liceatne de rebus nouis, noua adhibere uocabula: cum ratione illum disputantem audies. Ita uero ait ille \*: transferenda tota dictio est ad illa, quae, nescio cur, quum graeci κόμματα et κῶλα nominent, nos non recte incisa et membra dicamus. Neque enim esse possunt rebus ignotis noua nomina: sed quum uerba aut suauitatis, aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, quum id adpellandum sit, quod propter rerum ignoracionem ipsarum, nullum habuerit ante nomen: necessitas cogat, aut nouum facere uerbum, aut a simili mutuari. Videtur mihi acutissimi uir ingenii CHR. AVG. HEVMANNVS hunc forsan Tullii locum respexisse, atque, data quasi opera, illustrasse, quum de iure latinam linguam augendi nouis uocabulis,

lis, ad clar. Io. Tob. *Wilhelmi* epistolam gratulabundus scriberet criticam \*\*. Quo maiori iure huic eidem adfentimur dicenti: duo occurrunt tempora, quibus noua effingere cogimur uocabula. Nam et in uita res recens repertae, aut nullis, aut nouis, quum uetera desint, insigniendae sunt nominibus: et in disciplinis uarietas et subtilitas cogitationum a uulgi captu usque remota nouas adpellationes postulat. Atque ex his quidem rectissime \*\*\* elicitur duo canones criticos, quorum primus hic est: in stilo philosophico aliarumue disciplinarum licet usurpare uocabula olim uel plane inusitata, uel saltem alia usurpata notione; si modo ex purioris latinitatis fontibus non possit aliud hauriri uocabulum, eandem rem pari modo exprimens. Alter uero canon criticus hic est: in uita communi licet peregrinas uoces ciuitate latina donare; modo nullum in promptu sit uocabulum antiquae latinitatis, quo res possit aequae exprimi. Nihil profecto hac sententia est solidius, aut utilius!

\* In libro de oratore ad M. Brutum n. 211.

\*\* Prodiit illa Isnaci c10 1300 xiiii duabus plagulis. Sed consulenda necessario simul est responsio *Wilhelmi* ad eundem non ita multo post reddita.

\*\*\* Consentient *Christ. Noldius* in legibus distinguendi p. 9. sequ. *Chr.*

*Becmannus* in manud. ad lat. linguam cap. X. p. 61. *Rud. Goelenius* problem. grammat. p. 66. *Nicod. Frischlinus* in praef. nomenclatorii suo trilingui praemisit; *Iul. Caes. Scaliger* epist. X. p. 55. alii complures, quorum testimonia et *Heumannus* et *Wilhelmi* protulerunt.

### § XII.

Sed ueniendum est ad iuuenem humanissimum atque politissimum

GOTTLIEB ADOL. SONNENKALBIVM,  
nostratem,

qui, breui interiecto tempore, athenaeum patrium cum Lipsiensi academia est permutaturus. Qui quum ab fidelissimis est magistris impertitus iis omnibus, quibus  
iu-

QK Tc 104

iuuenilis aetas ad altiora tendens solet impertiri: nulli dubitamus, quin, diuino beneficio, sit enifurus, ut patriae aliquando et decori et usui esse possit. Quare immortale rogamus numen, ut honestis abituri conatibus faueat, eumque in uirtutis atque sollertiae tramite, tanto ipsi opere commendato, conferuet. Quoniam uero iuris disciplinam tractandam sibi delegit: dicet de trito sermone prouerbio *latine*:

in Institutis comparo uos brutis; in Digestis nihil potestis; in Codice scitis modice; in Nouellis caeciores estis catellis; et tamen creamini doctores. O tempora, o mores!

Tum gratias aget DEO immortales, PATRONIS submissas, DOCTORIBVS maximas pro beneficiis ac meritis *oratione uorsa* fatis comta.

§ XIII.

Tandem gratulabitur commilitoni suo discessum adulescens litterarum studiis deditissimus IO. CASP. SEIDENSCHWANZ, *Lauch. Thur.* si ante in quaestionem paucis inquisiuerit, *utrum etiam iuris consulti in paradiso existissent, nisi perisset*, carmine germanico,

§ XIII.

Non ingrata futura sunt dicturorum conata: qua exre MAECENATES, PATRONOS atque omnes bonarum mentium officinae fauentes, modeste rogo, uelint sua praesentia CRAS a meridie ante horam *secundam* musas exhilarare: neque enim quidquam aut illis, aut mihi erit gratius.

P. P. NVMBV RGI D. XI MAII

CIO 13CC XXXVIII.

mi





DE  
PRINCIPIO STILI LATINI  
COMMENTATIO ALTERA

QVA  
ORATIONEM VALEDICTORIAM  
IUVENIS HUMANISSIMI ATQVE POLITISSIMI  
GOTTLIEB ADOLPHI SONNENKALBII  
NUMBURGENSIS

CRAS H. L. Q. C. HABENDAM  
RITE INDICIT  
M. DAN. PEVCERVS  
LVSATVS  
ATHEN. SEN. RECT.

NUMBURGI  
LITTERIS BOSSOEGELIANIS  
C1D 106C XXXVIII